

4^o Non licet puellae occidere aggressorem honoris sui post oppressionem; potest tamen illum percutere et male acerbissimeque tractare, praesertim quia, nisi tali modo constantiam suam et displicentiam ostendat, non facile discedet homo nequam, aut facile ad sollicitationem redire poterit. — S. Lig. n. 386.

5^o Non licet, saltem *practice* loquendo, viro etiam honorato aggressorem volentem alapam impingere occisione praeoccupare; semper enim fuga aut alia via proprio honori consulere potest. Licet tamen aggredientem etiam districto gladio arcere, et se promptum ad propriam defensionem ostendere. — S. Lig. n. 381. — V. *Casus*, n. 390. et seq.

ARTICULUS III. — DE OCCISIONE INNOCENTIS.

§. I. De occisione innocentis in genere.

400. **Principia.** — I. Nunquam licet *directe* innocentem occidere sive auctoritate privata, sive publica, etiam ad bonum publicum procurandum; est enim actio intrinsece mala et divina lege expresse prohibita. *Exod. 23. 7.: Insonem et iustum non occides.* — S. Lig. n. 393.

II. Licet ob gravem causam ponere actionem in se bonam, ex qua praeter intentionem sequatur mors innocentis, iuxta principium D. Thomae supra expositum.

III. Non est homicidii reus, qui etiam sine causa, sed adhibita diligentia, ponit actionem, quae mortem *per se* non infert, ex qua tamen *per accidens* homicidium sequitur; quia homicidium illud est omnino fortuitum et involuntarium. Secus vero, si ponat actionem, quae mortem *per se* inferat, seu valde periculosa sit, et ex qua mors saepe sequatur, etiamsi diligentia ad damnum praecavendum adhibeatur. — S. Lig. n. 398.

401. **Resolves.** — 1^o Non licet occidere letaliter vulneratos, nec alios quoscumque moribundos, ne diutius patiantur; nec rabidos, ne aliis noceant, dummodo aliter a nocendo cohiberi possint. Ratio est, quia ex noto effato ad obtinendum bonum non sunt facienda mala.

2^o Non licet occidere innocentem ad satisfaciendum tyranno mortem eius postulanti etiam sub poena urbis subvertendae, et etiamsi morti

que ducatorum: quae quidem de quantitate damni *absoluta*, non autem de *relativa*, ut advertimus *not. praec.* accipienda sunt. Et ex his patet, per meram calumniam quosdam Molinae tribuisse doctrinam in prop. 31^a ab Innoc. XI proscripta contentam. Unius enim aurei valorem in

re praesenti non produxit Molina ceu *absolutam* damni mensuram, sed quaestionem agitans (Vid. l. c. n. 7.) in tertio casu praec. Notae a nobis propositae, cum scilicet non tam de rerum, quam de personae defensione contra iniustum aggressorem agitur.

suae ille consentiret; ratio, quia dominium in propriam vitam non habet. Probabilius tamen posset cogi, ut seipsum tyranno pro bono publico traderet, et probabiliter, si nollet, etiam tradi. — S. Lig. n. 393. cum aliis.

3^o Licet in bello tormenta adversus hostium stationes dirigere, quamvis inde etiam aliqui innocentes mortem passuri sint; quia eorum mors praeter intentionem sequitur. — S. Lig. *ibid.*

4^o Non licet legatos aut obsides occidere, etiamsi hostes, qui illos miserunt, fidem datam non servaverint, et obsides vel legatos ad eos missos iniuste interfecerint; quia sunt innocentes. — Busemb., *et alii communiter* cum S. Lig. *ibid.*

5^o Peccant graviter medici, obstetrices et custodes infantium et infirmorum, si ex gravi negligentia eorum mortem aut non impediunt, aut causant, vel accelerent. Item si ex ignorantia graviter culpabili aegrotis noxia praebeant.

§. II. De procuratione abortus (11).

Abortus est praematura eiectione foetus ex utero matris.

402. **Principia.** — I. Nunquam licet *directe* procurare abortum, etiamsi foetus supponeretur adhuc inanimatus. Ratio est, quia si animatus

(11) Ut apte de hoc argumento quaestiones instituantur ac solvantur, principia quidem veterum Theologorum retineri debent; ast illorum applicatio a theoris quoque pendeat oportet, quas accuratius medicae artis studium lapsu temporis invenit.

Ac 1^o quidem quod attinet ad causas abortus, iis praetermissis, quae veteres de pharmacis prolem in utero perimentibus disputabant (nam nulla eiusmodi pharmaca scientia medica modo admittit), ad haec capita revocari illae possunt. 1^o Uteri seu potius membranae, qua foetus clauditur, scissio seu disruptio ope instrumenti, qua fit, ut subtracto humore, in quo foetus natus, ibi vivere hic diu nequeat, sed necessario eiiciatur, licet in lucem prodire etiam vivus possit. — 2^o Vis extrinsecus illata per percussiones aut compressiones quae vel natum infantem allideret ac vita privaret. — 3^o Succussiones violentae, quae causam habere possunt tum extrinsecam tum etiam intrinsecam, v. gr. con-

vulsiones. — 4^o Demum fibrarum relaxatio qua fit ut foetus suo pondere pressus praemature nascatur; quae quidem relaxatio, seu partus acceleratio tum naturales causas habere potest, tum arte obtineri, v. gr. balneis, medicatis potionibus, etc.

2^o Plurimum autem proderit distinguere tum causas, quae directe ac positive foetum laedunt, cuiusmodi, v. gr. foret violenta percussio, aut etiam vulnus ope instrumenti ipsi foetui adhuc latenti in utero inflictum, tum causas, quae mere efficiunt, ut a conservanda proli vita cessetur, cuiusmodi est partus acceleratio ante septimum gestationis mensem, sive per membranae foetum continentis scissionem.

3^o Iam inde ab aetate sua scribebat S. Alphonsus (lib. 6. n. 124.): *Cum hodie vigeat opinio, non sine plausu a peritis recepta, quod foetus ab initio conceptionis, vel saltem post aliquos dies, anima informetur*, etc. quos quidem *aliquos dies* in editione anni 1748

sit foetus, est homicidium proprie dictum si vero non sit animatus, est homicidium anticipatum. Foetus enim etiam non animatus ordinatur ad hominem formandum; ergo illius eiectionis est homicidium anticipatum. — S. Lig. n. 394. — Lacroix, n. 823.

dicit tres vel quatuor. Haec porro sententia, quatenus nullum foetum inanimatum admittit, cum communis modo praesertim post accuratiora a physiologis instituta observationes, recepta sit, ac defendatur uti magis consentanea non solum philosophicis, sed etiam theologicis principiis; consequitur, vix causa subesse cur de hypothese foetus inanimati quaestio specialis fiat.

4^o Cum ars chirurgica modo instrumentum repererit, quo membranae foetum involventes ita scinduntur, ut aqua ope siphunculi inecta foetum immediate tangere certo possit, atque adeo cum iuxta ea, quae S. Alphonsus (lib. 6. n. 407.) post Benedictum XIV disserit, de validitate baptismi infantibus utero clausis sic collati prorsus certi esse possimus; proinde fere cessant difficultates et quaestiones a veteribus DD. motae circa pericula, quae mater subire teneatur, ut aeternae salutis prolis prospiciatur.

5^o Cum nihil dubii adesse possit quoad eas causas, quibus ad foetum positive laedendum ac perimendum *directe* tendatur, quippe *directa* occisionis intentio (de *indirecta* enim vid. sup. n. 396.) nunquam licita esse quavis ex causa potest; idcirco potior controversiae cardo in eo residebit, num et quando liceat partum accelerare et quidem per illud gestationis tempus, quo utcumque viva in lucem proles prodeat, cito tamen succumbere morti debeat.

6^o Haec autem partus acceleratio, prouti doctores tum de abortu tum generaliter de proximi occisione loqui solent, considerari potest aut *directe* aut *indirecte* excita seu promota. *Indirecte* excita dicitur, quando ad morbum matris curandum ea remedia adhibenda sint, e quibus

praeter intentionem ea fibrarum relaxatio sequatur, propter quam partus praemature sequatur. *Directe* vero, quando media usurpentur, quae per se non ad medendum matris morbo, sed mere ad ipsam per acceleratum partum foetu exonerandam diriguntur. Quod quidem duplici de causa contingere posset, nempe vel ob solam temporalem matris vitam servandam, vel ob spiritualem prolis salutem per baptismum curandam, aut etiam ob utrumque hunc simul finem.

Insuper etiam quando remedium per se non tendat ad morbum matris curandum, sed solum ad partum maturius obtinendum, abortus nihilominus alio sensu *directe* vel *indirecte* quaesitus haberi potest, spectata scilicet non materiali ratione accelerandi partum, sed voluntate seu intentione operantis. Quod enim DD. cum S. Thoma communiter habent, iniusti aggressoris mortem in iusta defensione tantum *indirecte* sequi, propterea quod *directa* occisoris intentio solum in propriam feratur defensionem, alter vero effectus, mors nempe aggressoris, sit praeter intentionem et per accidens; id ipsum locum habere potest in partus acceleratione, quando scilicet voluntas non in temporale prolis damnum, quod per accidens sequitur et praeter intentionem, sed in alium finem *directe* tendit.

7^o Denique ad faciliorem solutionem propositae quaestionis plurimum proderit illud advertere, quod superius innuimus, controversiam de partus acceleratione (sive hoc per fibrarum relaxationem fiat, sive per membranarum foetum continentium scissionem) non eo spectare, an liceat prolem vita privare, sed potius quousque mater teneatur ad vitam prolis custodiendam ac conservandam. Qua in re utique

II. Licet aliquando *indirecte* abortum procurare seu melius permittere, subministrando videlicet matri, morbo gravi laboranti, remedia foetui nociva, si conditiones sequentes concurrant, scilicet 1^o ut agatur de morbo letali; 2^o ut remedia, foetui nociva, sint *per se* ad morbum curandum

ratio habenda est non solum generalis obligationis, quam ab omnibus charitas exigit circa aliorum vitam tuendam; neque solum specialis obligationis parentum erga filios, sed etiam officii singularis, quod matrem obligat, utpote cui potissimum natura hanc curam commisit. Superest nihilominus inquirendum, quousque haec se obligatio porrigat, non secus ac inquiri potest, quousque urgeri queat obligatio matris, ne infantem, quam ulnis gerit, e manibus dimittat in undas, aut in barathrum aliquod prolapsurum, quod quidem in idem recidit, ac si quaeratur, an et quatenam adesse queat iusta causa, propter quam mater licite a vita prolis custodienda cesset.

Ad hanc porro generatim solvendam quaestionem ea faciunt, quae ceu quoddam principium statuit Card. De Lugo (*De Iust. et Iur.* disp. 10. n. 133.), ubi scribit: *Mater non tenetur cum tanto vitae suae periculo et detrimento procurare et conservare foetum: sicut nec natum iam filium tenetur cum vitae discrimine alere et retinere, neque etiam ad eum lactandum conservare lac in uberibus, quando ad propriam vitam tuendam necessarium ei esset ubera arefacere.* Et plane huc etiam illud spectat, quod subdit ibidem Lugo, diligenter distinguens meram cessationem custodiendi vitam a damno positive illato proli, licet non admittatur modo hypothesis illa veneni prolem inficientis. *Placet tamen* (inquit) *moderatio, quam huic doctrinae addidit postea Vasquez....., dicens hoc intelligi de sanguinis emissionem, balneo et eiusmodi remediis, quae non tendunt ad occisionem foetus nisi negative, per subtractionem humoris necessarii ad eius sustentationem, non vero*

de remediis quae positive concurrerent ad mortem foetus, qualis esset potio, quae per alterationem positivam occideret foetum: hoc enim esset dare positive venenum innocenti, ut te a morte liberes, quod nunquam licet.

8^o Hisc praeciactis, haud aegre variae pro variis hypothesebus solventur quaestiones.

Ac I. Ubi certa sit mors alterutrius, aut matris scilicet, aut prolis, certa autem alterius vita, et quaestio sit de morte dumtaxat temporali, quia, v. gr. baptismus proli nondum natae iuxta praedicta potuit conferri; non tenetur mater mori, ut vitam filio temporalem conservet. Vid. Lugo loc. cit.

Sed hic casus perrarus omnino est; quandoquidem (ut dicit S. Alphonsus, lib. 3. n. 394.) *moraliter impossibile est, ut pene miraculum sit, quod pereunte matre proles supervivat... Idque* (subdit) *mihi confirmarunt plures artis medicae periti, quos consului.*

Et hoc quidem valet, etiamsi agatur de caesarea operatione; quae praeterea cum peritissimos requirat medicos, et matrem robustam, raro id locum habet, praesertim cum hoc remedium requiri tunc soleat, quando incassum alia remedia adhibita sunt, atque adeo quando et mater et proles e longa lucta prostratas habent vires.

II. Imo S. Alphonsus (lib. 6. n. 106.) prae oculis habens illud S. Thomae (3. q. 68. art. 11. ad 3.): *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona; et ideo homo non debet occidere matrem, ut baptizet puerum;* concludit, matrem, quando mortis periculum sit proximum aut probabile, non teneri ad discrimen illud subeundum, ut proles baptizetur, nec chirurgum posse ipsam in hoc discrimen inducere.

directa; 3^o ut nulla sit spes foetui illi vitam aeternam per Baptismum procurandi. Huiusmodi autem spes in duplici casu abesse potest: nempe ubi moraliter certo constat, foetum nondum esse animatum, ut in prioribus conceptionis diebus; vel ipsum, moriente matre, simul vel ante moriturum. — S. Lig. *ibid.* — Lacroix, n. 826. et seq. — Billuart.

III. Mulieri gravidae aegrotanti licet porrigere remedia curandis morbis idonea, etsi quandoque abortus sequi possit. Ratio est, quia experientia constat, abortum remediis ordinariis, saltem plerisque, rarissime sequi. — *Ita communiter.*

403. **Resolves.** — 1^o Non licet puellae gravidae pharmacum sumere ad foetum expellendum, ne famam amittat, aut ne a patre furioso occi-

III. Si mater morbo correpta, gravi mortis periculo laboret, nisi foetus partum accelerando expellatur; probabilis autem spes sit, ope medicinae effici posse, ut foetus vivus in lucem prodeat, atque adeo sin minus temporalem, saltem aeternam vitam adepturus sit; tunc eiusmodi expulsio non modo licita videtur, sed praecipua. Ratio, quia matris periculum ac mors nihil prodesset vitae temporali prolis, et insuper in gravissimum salutis aeternae discrimen ipsam prolem coniiceret.

Nec obesse debet, quod forte mors prolis paululum acceleretur. Nam primo quidem ex praedictis cum Lugo non tenetur mater cum tanto discrimine vitam prolis ulterius conservare. Deinde vero *in eo casu* (ut inquit S. Alphonsus, (lib. 6. n. 106. in fin.) *negligi potest parva illa vitae iactura, ut infans vitam aeternam consequatur.*

IV. Quando, aegrotante matre, periculum abortus aequae instat, tum si illa remedium ad morbum curandum sumat, tum si non sumat, eo quod vis ipsa morbi (ut subinde contingit) abortum infert, licet medicinam sumere: neque enim prodesset proli abstinentia a remediis, atque adeo mater vitae suae consulit sine maiori prolis detrimento. Atqui si absque maiori prolis detrimento mater potest vitae suae consulere, non solum licite potest, sed propter obligationem, quam quisque habet vitam suam conservandi per ordinaria remedia, medicinis uti prorsus debet.

V. Si ex vi morbi probabile immineat periculum abortus, simul vero periculum instet, ne, si abortus reipsa ex morbo sequatur, proles in utero moriatur; contra vero probabilis spes affulgeat, quod accelerato per medicinas partu proles in lucem viva prodeat, et sic aeternae eiusdem salutis prospici possit; incerta vitae temporalis spes non videtur praeferenda probabiliori spei salutis aeternae, atque adeo accelerare partum liceret. Quod quidem dicendum est valere, etiamsi morbus nullum vitae matris periculum inferat, sed solum de meliori prolis bono agatur.

VI. Quando habita ratione status tum physici tum moralis matris (quae scilicet non ita incisionem exhorreat, ut proli vel solus hic horror graviter nocere queat), et simul spectatis tum statu prolis tum medici peritia, prudenter existimari queat, per caesaream operationem in grave periculum matrem inductum non iri, prolis vero consuli posse non modo temporali sed etiam aeternae vitae; dicendum est, teneri matrem ad incisionem patiendam, licet salutis aeternae prolis prospici aliter posset. Requiritur tamen ut longe probabilior sit spes salutis prolis simul et matris; nam secus pro incerta spe vitae temporalis filii (aeterna enim curari aliter potest, ut diximus) non tenetur mater probabile periculum vitae suae subire. S. Alphons. lib. 6. n. 106.)

datur, quia directe procuraretur abortus (12). Constat etiam ex propositione 34^a ab Innoc. XI damnata.

2^o Non licet, cum mulier gravida est, foetum occidere (13) ad matrem a morte liberandam. — S. Lig. n. 394.

3^o Non licet matri gravidae, etiam in certo mortis periculo, sumere, aut etiam ei praebere medicinam ex intentione directe ordinata ad eiectionem foetus. Si tamen mors certo aut fere certo futura sit, si medicina non adhibeatur, et e contrario certo aut probabiliter salvanda sit mater, si adhibeatur, non videtur id illicitum, praesertim cum vel ex partus acceleratione vel alio modo aeternae prolis salutis alias periclitaturae prospici per Baptismum possit (14).

(12) Ut licite possis causam ponere mortis (idem dicito de quovis alterius damno), oportet etiam, ut occisionem neque ut finem intendas, neque assumes ut medium ad alium finem (utroque enim modo *directe* eam velles); sed tantum *indirecte* eam inferas, scilicet ponendo causam istius mortis non propter coniunctionem, quam eadem causa habet cum eo effectu seu morte innocentis, sed solum propter coniunctionem, quam habet *aeque immediatam* cum alio effectu. Sic enim id agis atque intendis, quatenus iunctum est cum effectu licite appetibili, non quatenus per accidens nexum est cum alio effectu, quem intendere non potes, licet possis eum ex iusta causa permittere. Porro in hypothesi Auctoris abortus assumitur ut medium *directe* electum ad obtinendum alium finem, ad quem insuper abortus per se nequaquam ordinem habet ceu ad suum effectum. In quibus elucet duplex ratio, ob quam damnata fuit ab Innocent. XI. propositio (n. 34.): *Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.*

(13) Hanc quoque resolutionem accipe sensu in praec. Nota exposito, non licere nempe *directe* mortem prolis velle. Nam si alioquin certa instet mors tum matris tum prolis, nullatenus tenetur mater subire mortem, quae prolem a simultanea

morte non servat. Et huc sane illud spectat, quod Salmanticenses (Tr. XIII. cap. 2. n. 60.) tribuunt plusquam viginti Doctoribus, foetum in certis quibusdam adiunctis se habere instar innocentis aggressoris, cuius mors iuxta doctrinam S. Thomae sup. memoratam (in not. ad n. 402.) tantum *indirecte* sequitur.

(14) Duas huius resolutionis partes merito dixeris secum invicem pugnantes. Eas conciliabis, si in prima parte potiusquam dicas, *ex intentione directe ordinata*, substituas, *directe per se ordinatam*; sic enim locus superest sensui, quo et secunda pars intelligi debet, mortem prolis tantum *indirecte* sequi, ac permitti.

(*) Iuvat haec subiicere responsum C. S. O. 28. Maii 1884. « An tuto doceri possit in scholis catholicis, licitam esse operationem chirurgicam... quam *craniotomiam* appellant, quando scilicet, ea ommissa, mater et proles periturae sunt, ea contra admissa, salvanda sit mater, infante pereunte ». Responsum est: « omnibus diu et mature perpensis, habita quoque ratione eorum, quae hac in re a peritis catholicis viris conscripta, huic Congregationi transmissa sunt, respondendum esse censuerunt: *Tuto doceri non posse.* Quam resolutionem SS. D. N. plene confirmavit ».

Idem rursus responsum est ab eadem C. 14. Aug. 1889. nimirum « In scholis catholicis tuto doceri non posse licitam

4^o Licet medico praebere remedium de se ordinatum ad morbum matris curandum, si certo constet, non dato remedio, et matrem alioquin morituram, et foetum sine Baptismo extinctum iri; sic enim tum mater, tum foetus, quo meliori modo possunt, iuvantur; sed rarissime de utroque constabit. Si vero aequale sit periculum abortus, sive remedium sumatur, sive non, illud adhibere licitum est; quia sine maiori prolis periculo vitae matris consulitur. — S. Lig. n. 394.

5^o Homicidae sunt, qui percutiunt mulierem praegnantem, vel terrefaciunt, ita ut abortus sequatur. Item mulieres gravidae, quae cum gravi imprudentia variis modis abortus causam proximam ponunt, v. gr. nimis laboribus operam dando, onera gravia asportando, pedes in aqua frigida lavando, etc...

6^o A fortiori homicidii reae sunt puellae ex fornicatione gravidae, quae repetitos conatus adhibent ad abortum attentandum, potionibus, saltibus, oneribus, ventris valida percussione et compressione, etc... Quando huiusmodi feminae confitentur, sedulo, sed non abrupte, interrogandae sunt de abortu desiderato vel attentato.

De poenis in procurantes abortum dicitur in *Tract. de Censuris*. — Vid. *Casus*, n. 399. et seq.

CAPUT III.

DE DUELLO

Duelli in genere est pugna duorum vel paucorum inter se. In sensu strictiori est periculosa duorum pugna ex praecedenti condicto de loco, tempore et armis.

Duelli est 1^o *publicum* vel *privatum*, prout fit auctoritate publica vel non; 2^o *solemne* vel *simplex*, prout fit coram testibus, vel iis omissis.

404. **Principia.** — I. Duelli auctoritate publica susceptum est licitum, si fiat ad bonum commune, v. gr. ut bellum conficiatur (1); secus, si aliis de causis imperetur aut permittatur (2). Ratio utriusque patens est.

II. Duelli auctoritate privata susceptum nunquam licitum esse potest. Ratio est, quia repugnat 1^o *iuri naturali*, cum Deus nulli hominum do-

esse operationem chirurgicam, quam craniotomiam appellant, sicut declaratum fuit 28. Maii 1884. et quaecumque chirurgicam operationem directe occisivam foetus vel matris gestantis ».

(1) Alium finem indicat Sanchez (*In Dec.* lib. 2. c. 39. n. 13-14.), nempe ad servandam penes hostes existimationem, et

ne exercitus animo concidat. Huiusmodi duella Bonacina (*De Cens. in spec. disp.* 2. q. 3. p. 58. n. 4.) appellat *partem belli*.

(2) Ita, v. gr., si fiat spectacula et voluptatis causa, vel ad robur militum vane ostentandum (Sanchez, *in Dec.* lib. 2. c. 39. n. 12.).

minium dederit in suam aut alterius vitam, nec in membra extra casum defensionis contra actualem aggressorem; 2^o *iuri canonico*, ut constat ex Trident. sess. 25. cap. 19., ubi duellum dicitur: *Detestabilis usus, fabricante diabolo, introductus*. — S. Lig. n. 399. 400.

405. **Resolves.** — 1^o Non licet acceptare duellum etiam ad aver-tendam ignominiam; quia repugnat rationi istud medium crudele adhibere cum evidenti suae aut proximi vitae periculo, imo et salutis aeternae ob finem non necessarium vel etiam inutilem. Vera aestimatio, laus et decus posita non sunt in vana opinione huius mundi, cuius sapientia apud Deum stultitia est. — S. Lig. *Hom. apost.* n. 27.

2^o Non licet acceptare duellum viro militari, etiamsi cedere idcirco debeat officio ad sustentationem suam et suorum necessario. Ratio sequitur ex dictis: occisio enim alterius privata auctoritate nunquam licita est, nisi contra actualem aggressorem cum *moderamine inculpatae tutelae*; provocans autem ad duellum non est actualis aggressor.

3^o Non licet duellum suscipere ea lege, ut uno vulnerato aut certo numero ictuum completo, pugna cesset; 1^o quia etiam in hoc maximum adest vulneris letalis periculum; 2^o quia Clemens VIII prohibuit etiam duella non fatalia; 3^o quia istud duelli genus scandalum creat, et duellis fatalibus occasionem praebet.

4^o Non licet duellum suscipere, etiam accedente auctoritate publica, ad noscendam veritatem, ad probandam innocentiam aut ad finiendam litem privatam; quia non est medium ad hos fines ordinatum. Nec cogi rei possunt ad duellandum, spe etiam vitae victori futuro data. — S. Lig. *Hom. apost.* ibid. (3).

5^o Licet autem pugnare in duello ad meram defensionem, etiam arma acceptando ab adversario, si mors ab ipso intentetur, aut amissio honorum secutura sit, nisi pugna acceptetur, nec adsit alia ratio hoc periculum evadendi; sed non licet se conferre ad alium locum (4), aut

(3) S. Alphonsus citato loco loquitur tantum de prima huius resolutionis parte. Quoad postremam vero (*Theol. moral.* lib. 3. n. 400.) oppositam sententiam sine ulla nota refert; Laymann autem (lib. 3. Tr. 3. p. 3. c. 5. n. 2.) aliis DD. allegatis quoad iudicem haec habet: *Licet secundum se et speculative rem aestimando non videatur id alienum a iure naturali, quod id aliud non sit, quam utrumque reum in alterutrum iustitiae ministrum decernere, ut iustam mortis sententiam exequatur; ei autem, qui*

praevenerit, vita condonetur; attamen ob adiunctas circumstantias non vacat periculo scandalum; quare neque expediens neque licitum est. Quoad reos vero subdit: *Postquam princeps eiusmodi facultatem duello decertandi reis concessit, licitum videtur id acceptare non ex odio, sed tum publicae iustitiae zelo, tum propriae vitae salvandae causa.*

(4) Si tamen mors tibi intentetur, nisi continentur in alium locum pergas, ubi te defendere possis, haec circumstantia non